

rentiæ, ad merendum, et demerendum satis esse, ut a coactione immunis sit, nec requiri ut a necessitate antecedente, et inevitabili sit liber. Hinc aiunt, peccare homines dam-nabiliter, etiam in iis, quæ vitare nequeunt, indeliberatos concupiscentiæ motus esse vera peccata; impossibilia Deum jubere, ac homi-nibus quoque justis impossibilia esse aliqua Dei præcepta, atque iis similia, quæ clariora fient eorum exposita hæresi.

Omnes ergo novatores isti aiunt, Adamum per voluntarium peccatum dona naturæ de-bita amisisse, et inter alia libertatem indiffe-rentiæ; et claram cognitionem eorum, quæ ad jus naturæ pertinent. Quamobrem igno-rantia eorum, quæ ad naturæ legem perti-nent, et agendi, peccandique necessitas, atque concupiscentia rebellis, veluti volun-tarie in Adamo volitæ reputantur. Ideoque invincibilis juris naturæ ignorantia a culpa non excusat, indeliberati concupiscentiæ motus peccata sunt contra præceptum *Non concupisces*, et operationes omnes, quamquam necessariæ, ut sunt opera omnia Infidelium, secundum hypothesim Jansenianam, sunt peccata quia necessitas illa, qua inevitabili-ter fiunt ex voluntaria, et libera Adami culpa, cum quo nos quoque peccavimus, orta est, ac remanet in homine, etiam postquam per Ba-ptismum sit originale peccatum sublatum.

Itaque homo post Adami peccatum liber-tatem amisit, ac necessarie agit quæcunque operatur. Quamobrem spectari juxta novato-res hujusmodi debet, veluti agens necessa-rium, delectatione ad ea, quæ operaturus sit, determinandum. Itaque sicuti bilanx determinatur pondere, et sicut lanx quæ majori premitur pondere necessario inclina-tur, ita necessarie in eam trahitur partem hominis voluntas, in quam major delectatio urgeat. Hæc est vera Jansenianæ hæresis imago a Luthero, et Calvino delineata, sed a Baio, Jansenio atque Quesnellio veluti ali-quo velo obducta. Videant vero ii, qui Au-gustinianos, ac Thomistas Jansenianismi insimulant, num jure horum de libertate hominis sententia, cum Jansenii systemate confundatur? Nam ii omnes fatentur per Adami peccatum attenuatas quidem esse liberi arbitrii vires, sed manere adhuc indif-ferentiæ libertatem.

Sed antequam ad aperiendum discrimen veniamus, quod inter hos novatores, catho-licosque theologos intercedit, observare ne-cesse est, tria alia illos statuere, quæ sunt cum recensito errore connexa; scilicet amissam cum libertate fuisse naturalis scientiæ cognitionem, castumque amorem Dei inte-græ naturæ debitum, ac loco istius domi-nantem cupiditatem successisse. Cum vero in homine necessitas, ignorantia legis, et vitiosa cupiditas ob peccatum insint libere in Adamo commissum, asserere non verentur, ad peccatum et demeritum agendi ne-cessitatem non obesse, sed libertatem suf-ficere libere in Adamo amissam, eandemque ob causam peccata esse, quæ ex ignorantia etiam invincibili contra naturæ legem fiunt, atque dominantis concupiscentiæ motus.

Hæc basis est Janseniani systematis. Ut vero pessimam, quæ inde nascuntur, consecutio-nes, intelligere valeamus, duo illi amores, sive duæ illæ delectationes exponendæ sunt, quibus veluti pondere necessario flectitur, agiturque voluntas. Sunt ii duo amores: amor mundi, qui vitiosa cupiditas, ac ter-rena quoque delectatio dicitur; et amor Dei, sive charitas a Deo inspirata. Nullam in ho-mine actionem esse contendunt, quæ aut ex vitiosa illa cupiditate, aut ex charitate per-fecta non oriatur. Quamobrem, quæ ex cha-ritate non sunt, ea omnia ex cupiditate, ideo-que vera peccata esse prædicant. Hinc omnia opera Infidelium, et peccatorum cum ex charitate non sint, veluti ex vitiosa radice prodeuntia infecta esse, atque peccata aiunt: Hinc vel ipsum timorem gehennæ, quo pec-cator ad conversionem disponitur, actusque reliquos, qui a charitate non oriuntur, cu-juscunque generis sint, vera peccata esse defi-niunt. Hæc de causa, aiunt tiberum arbitrium sine sanctificante Gratia nihil nisi peccatum operari posse, atque Gratiam omnem extra dominantem charitatem, etiam sufficientem, excludunt. Hæc indicasse sufficiat, ut inde concludere clare possim, toto cælo Tho-mistarum, Augustinianensium, aliorumque theologorum opiniones, ab horum novato-rum erroribus dissidere. Nam ut incipiam a libero arbitrio.

Quis ex his est, qui Adami peccato extin-ctum asserat? Nunquid illud perimit Gratia efficax? At hæc infirmo, et attenuato arbitrio a Deo datur, ut illud roboret, adjuvet, per-ficiat, modo tantum ejusdem indoli consen-taneo, libero scilicet, cum libera sit illius indoles; Gratia enim efficax quæ lapsis ho-minibus datur, medicinalis est, neque præ-sumi potest, peritum medicum cognito ægroti morbo medicinam porrigere, qua il-lum occidat. Quis ergo credat, meum divi-num medicum cui arbitrii infirmitas cognita est congruam medicinam non porrigere? Si Adami peccatum non exstinxit arbitrium, nunquid medicina divina illud interficiet? « Si non occiditur per vulnerantem, » inquit Prosper, « nunquid per medentem? » Quod medicum gravi infirmitati, natura sua efficax remedium porrigat, ideone ægroti natura de-trimentum accipiet? Paucis dicam, efficax Gratia actio est Dei omnipotentis, qui non tollere, sed roborare, juvare, perficere vult libertatem; ergo perficit, non minuit, non exstinguit; alioquin effectus infinitæ causæ virtuti non responderet. Dices: intellectu difficile est, qua ratione id cum arbitrio concilietur. At mysterium est, ut ait S. Au-gustinus, quid ergo mirum?

Hæc vero non ad Thomistas tantum, sed etiam ad Augustinianos pertinent. Si enim medicinalis efficax gratia a Deo ad perficien-dum libertatis usum destinata est, sive hæc præmotio dicatur, sive divina inspiratio sive dilectio prævia, ac victrix, semper Dei actio est, atque effectum parit, quem Deus vult. Quid si dicant morale necessitatem afferre præviam prædominantem delectationem? Quis unquam hanc proscripsit opinionem?

Sed ut os obstruatur imperitis nonnullis quibus Sorbonicus ille Tournelius imposuit, dum asseruit delectationem superiorem, seu relative victricem, basim constituere Janse-niani systematis, paulo fusius rem agam. Opinio hæc, damnata jam Janseniana hæresi, propugnata fuit a Basilio Pontio, Augustino Burgensi, Mansio, Macedo, Haberto, Cardi-nali Lauria iterum iterumque impresso Romæ 1770, per Barbiellinum, Cardinali Norisio, aliisque; et Romæ sub oculis Pontificis Summi tradita, et propugnata fuit ab Augustinianis, et monachis Cassinensibus, ac asserta, et typis tradita a Laurentio Berti, aliisque. Nunquid passa id fuisset Apostolica Sedes, cujus judicio Janseniana hæresis damnata fuit, si res ita se haberet, ut Tournelius asserit; imo pluries hæc doctrina expensa fuit, ac post illius examen, Norisius cardinalis ren-unciatus fuit, ac Berti laudatus. Sed annon Moliniani ipsi propugnant Gratiam relativam, comparatam malitiæ gradibus, quæque re-spectu Syriorum est efficax seu victrix, et respectu Corozaitarum inefficax est (9)? Nunquid hæc a Jansenianis differt, quia Gratiam, non vero inspirationem, lumen cæleste, sanctam delectationem vocant? At hic non est de nominis appellatione conten-tio. Itaque cum jam sit notum, Jansenium extinctum asserere arbitrium per peccatum Adami, jam patet fundamentum systematis: ac delectatio illa victrix in Jansenio non potest libertatem, quæ non est, tollere, sed nat-uram necessarie operantem flectere debet; ut ab aliis vero usurpata, juvat, fovet, perficitque libertatem, ut alia quæcunque efficax Gratia.

Dissent præterea Thomistæ, Augusti-niani, alique ab istis novatoribus: Quia isti præter dominantem charitatem, nullam aliam Gratiam agnoscunt, ac sufficientem damnant. Contra vero Thomistæ sufficientem astruunt, quæ vere potentiam perficit, ac dat posse operari, atque hanc ab efficaci diversam statuunt, concessamque asserunt non præ-destinatis tantum, sed catholicis, hæreticis, ac etiam infidelibus, licet nonnulli eorum cum aliis catholicis sentiant non dari par-vulis decedentibus in utero matris ac obcæ-catis nonnullis peccatoribus, et infidelibus. Qua in re consentientes quoque habent Au-gustinianos, qui Gratiam sufficientem, usur-pata ab Augustino phrasi, etiam parvam vocare solent, quod concupiscentiæ conatus non vincat. Differunt vero isti a Thomistis, quia sine novo auxilio hanc satis esse aiunt ad orandum, si homo velit, ut Gratiam uberiolem ad vincendum aptam obtineat.

Aliud est Augustinianæ doctrinæ caput, quod cum damnatis erroribus aliqui imperiti

(9) Qui Molinæ, ac Suaresii systematis principia tenent, Theologum hoc ipsis reponentem facile elu-dent. Respondebunt enim cum Suarezio, lib. 4 de Divina Gratia cap. 6, num. 11: « Licet vocatio con-grua sit necessaria ad efficaciam auxilii, illa tamen congruitas in re ipsa non est omnino antecedens, seu præveniens usum libertatis, sed est consequens, et ab arbitrio pendet. Et ideo quod vocatio non sit congrua in his, qui tantum auxilium sufficiens reci-piunt, causa est in ipsis: possent enim facere, ut vocatio esset congrua, si vellent gratiæ cooperari,

confundunt, quod scilicet ii doceant homi-nem teneri ad actiones suas humanas in Deum ultimum finem dirigendas, nec posse eas ita in Deum referre sine Gratia. At a Jansenianis, Baianisque hæc opinio dif-fert, cum Augustiniani dicant, tantum vel actu, vel virtute in Deum referendas; cum astruant, præsto esse infidelibus, et peccato-ribus etiam, saltem non obcæcatis, Gratiam, qua ita actiones dirigant suas; cum fateantur, non ita esse mentem ab originali culpa depravatam, ut motus aliquos bonos natura sua habere non possit, ac non habeat, et ut Gratia destituta necessarie ad peccandum trahatur. Nam beatitudinis amor, qui in natura est, bonus est naturæ motus, et si qui sint actus, qui ad Deum non referantur juxta Augustinianos, non sunt mali, ac lethalia peccata, quæ ab infecta dominante cupi-ditate inficiantur, sed mali tantum dici pos-sunt ob defectum rectæ ordinationis, ac fere semper culpa venialis, ac levissima sunt. Rursum gehennæ metum in pœnitente bo-num, ac salutarem fatentur, et novatores hac in re validissime confutant, licet asse-rant esse præterea ad justificationem obti-nendam necessariam initialem charitatem qua, et Deum pœnitens diligere incipiat, et sese a creatura avertere atque convertere ad Creatorem. Hanc opinionem censura no-tari posse vetuit Apostolica Sedes, ut videre est in superiore appendice. Vides ergo quam late distent catholicorum opiniones a dam-natis sententiis.

Sed unum adhuc monendum superest sci-licet, notandos non esse catholicos, qui salva fide, qua credimus hominem justifi-cari per Gratiam eidem in hærentem, Gratiam ei necessariam esse ad bene agendum etiam ad initium fidei, eamque iis conferri omni-bus quos supra diximus, atque hanc arbitrii libertatem juvare, et roborare, non adimere; diverso a recepto in scholis modo superna-turalium donorum, et Gratiæ interioris natu-ram explicent. Nam id Philosophi potius munus est modum declarantis, quo actiones nostræ fiant, habitusque in anima insit, quam theologi revelationem unice proponentis, atque consecutiones ex ea deducuntis. Quis ergo reprehendat illos, qui sanctificari ani-mam per charitatem asserant, et charitatem esse vel Dei in nobis permanentem actio-nem, vel inspiratam divinitus dilectionem, quæ naturam elevet, elevatam ad Deum amandum, ejusque amorem augendum in-clinet, adjuvetque etiam ut vere actu diliga-tur Deus, vel Dei amore quidquam agatur? Si hæc salva libertate fiant, quid est, quod damnari possit, præsertim cum aliæ etiam

prout revera possent. Unde attente considerandum est, aliud esse, quod in potestate hominis sit facere, ut Deus ipsi tribuat vocationem quam prævidet fu-turam congruam, aliud esse, quod in potestate homi-nis sit facere, ut vocatio sufficiens, quæ illi datur, sit congrua. Nam secundum dicimus esse in potestate hominis, idque sufficit, ac necessarium est, ut auxi-lium sit vere sufficiens. Primum autem revera non est in hominis potestate, sed in sola divina disposi-tione ac libertate. » (EDIT. BARBIELL.)

divinæ in homine Gratiæ operationes, juxta definitam ab Ecclesia doctrinam explicentur? Dum necessitas Gratiæ salvatur ad initium fidei, ad sanitatem, ad credendum, spe-

## GRATIA, UT EST GRATIOSUM RESCRIPTUM.

## SUMMARIUM.

1 ad 5. Quomodo revocetur Gratia a Papa concessa. — 4 ad 5. Et Gratia facta ad beneplacitum concedentis. — 6. Et Gratia concessa ad beneplacitum Sedis Apostolicæ. — 7. Et Gratia facta ad beneplacitum personæ et dignitatis. — 8. Et Gratia concessa cum clausula, *donec revocaverimus, donec aliud duxerimus ordinandum*, et hujusmodi. — 9 ad 11. Quomodo Gratia Papæ robur accipiat. — 12. Scriptura autem, seu Litteræ Apostolicæ requiruntur tantum ad probationem gratiæ. — 13. Optimum dictum Gonzalez circa hoc. — 14. Gratia concessa per Pontificem prædecessorem absque expeditione Bullarum, est exsequenda per successorem expeditis litteris sub forma: *Rationi congruit*. — 15. Talis Regula suffragatur tantum quoad Pontifices nominatos. — 16. Hæc regula, desumpta fuit ex jure communi. — 17. Novus Papa solum testatur de Gratia concessa.

(1. Gratia, quam Papa concesserit, eo mortuo non revocatur, etiamsi adhuc res integra maneat; c. *Si super Gratia* 9. de *Offic. deleg.* in 6, ibi: « Ipsa Gratia, licet nondum sit in ejus executionem processum, morte non perimitur concedentis: » cap. *Si cui* 36 de *Præbend.* eo lem in 6, ibi: « Hujusmodi concessio (quam, cum speciale gratiam contineat, decet esse mansuram) non expirat, etiam re integra per obitum concedentis. » Gonzal. ad regul. 8, Cancellar. gloss. 12, in prin. numer. 32 et seq., ubi in pluribus exemplis hoc ipsum demonstrat, Barbosa de *Offic. et Potest. Episcop.* lib. 1, num. 8. Card. de Luca de *Pension.* disc. 1, num. 23. Reiffenstuel lib. 1 Decretal., tit. 3, num. 230, ubi testatur de communi circa Gratiam jam factam, ut supponit nostra conclusio. (2. Secus autem circa Gratiam faciendam, id est quando Rescriptum Apostolicum continet Gratiam primum faciendam, sed concessam non in proprium recipientis litteras, sed in alterius duntaxat favorem, quia tunc ejusmodi Gratia faciendæ expirat morte concedentis re adhuc integra, textu expresso in cit. cap. *Si cui* 36 de *Præbend.* in 6, § final. ibi: « Secus si super provisione certæ personæ faciendæ sit data potestas eidem, non ob suam, sed ejus, cui provideri mandatur, Gratiam vel favorem, illa quidem expirat omnino: si concedens re integra moriatur. » (3. Et ratio disparitatis est clara, quia circa gratiam jam factam, seu quando Rescriptum Apostolicum continet *Gratiam factam*, jam illi, cui talis Gratia facta est, fuit jus acquisitum, quod non decet ei amplius auferri ratione solius mortis concedentis. E contra vero circa *Gratiam faciendam*, seu quando Rescriptum Apostolicum continet *Gratiam primum faciendam*, nulli adhuc jus quæsitum fuit; unde nullum est inconveniens, quod talis Gratia veluti primum faciendæ expiret morte concedentis re adhuc integra, seu cum in ejusdem executione needum cæptum est procedi.

randum, agendumque ut oportet, libertas una cum Gratia operante, et mysterium in concilianda Gratia cum libero arbitrio, salva fides ac Ecclesiæ doctrina est.

— 18. An ista expeditio requirat, ut supplicatio sit signata tempore antecessoris. — 19. Cui consignandæ sint supplicationes signatæ statim mortuo Papa. — 20 ad 25. De Gratia concessa cum clausula: *Ex nunc prout ex tunc*. — 24 ad 26. Quando Gratia dicatur conditionalis, et quomodo cesset. — 27 ad 31. Quomodo regulanda sit. — 32. De Gratia alicui concessa præterquam in certo casu. — 33. De Gratia concessa cum aliqua limitatione. — 34. De Gratia concessa cum clausula: *dummodo tempore datæ presentium non fuerit alteri Jus quæsitum*. — 35. De Gratia Apostolica facta sine præjudicio alterius. — 36. Clausulæ præservativæ reddunt gratiam conditionalem. — 37 ad 52. De Gratia *Si neutri*, ejusque conditionibus. — 53 ad 60. De Gratia *in forma dignum*, ejusque affectibus. — 61 ad 71. De Gratia derogatoria Jurispatronatus in totum. — 72 ad 80. De Gratia pro præsentato cum derogatione medietatis vocum. — 81 ad 89. De Gratia *Si neutri*.

(4. Gratia facta ad beneplacitum concedentis, durat, donec ille eam revocaverit, quia istud beneplacitum nulli subjacet legi, adnotat. in leg. *Fideicommissa*, § *Quamquam*, ff. de *Legat.* ubi glossa verb. *Voluerit*, Natt. consil. 508, num. 5, vol. 3, Cokhier de *Jurisd. ordinaria in exempt.* part. 3, q. 5, num. 3. Barbosa, clausula 8, num. 2, et alii passim. (5. Aut donec ipse concedens moriatur, quia morte voluntas solvitur, et exstinguitur, textu expresso in cap. *Si gratiose* 5 de *Rescriptis*, ibi: « Hujusmodi Gratia per ejus obitum (per quem ipsius beneplacitum omnino exstinguitur) eo ipso expirat. » Et sic communis doctorum cum Barbosa loc. citat. et Reiffenstuel loc. cit., num. 260. Card. de Luca disc. 48, num. 4. (6. Gratia concessa ad beneplacitum Sedis Apostolicæ, aut interim, dum Sedes Apostolica voluerit, non expirat morte Papæ concedentis, sed opus est expressa revocatione, textu expresso in d. cap. *Si gratiose*, ibi: « Secus autem si usque ad Apostolicæ Sedis beneplacitum Gratia concedatur prædicta, » tunc enim quia Sedes ipsa non moritur, durabit perpetuo, nisi a successore fuerit revocata. Sic etiam communis cum præcatis. (7. Si Gratia fieret, et concederetur ad beneplacitum personæ, et dignitatis, quæ perpetua est, aliqui volunt, quod præponderet dignitas, et sic quod illa Gratia minime exstinguatur morte concedentis, cum dignitas sit perpetua. Ita Joan. Andr. in d. cap. *Si gratiose* num. 6, in fine. Alii autem volunt, quod præponderet nomen, quod præcedit, et sic quod gratia non exstinguatur, si præcedat nomen dignitatis; arg. cap. *Quoniam* 14 de *Offic. et Potest. Judic. Delegat.* quia dignitas non moritur, neque variatur per mortem, et variationem personæ; cit. cap. *Si gratiose* 5 de *Rescriptis* in 6. et quod exstinguatur, si præcedat nomen personæ, quia tunc sequitur personam, et veluti accessoria exstinguitur cum persona, arg. cap. *Privilegium personale* 7. de *Regul. Juris* in 6.

et cap. *Accessorium* 42. de *Regul. Juris* etiam in 6. Et sic tenent Imola in d. cap. *Si gratiose*; ut eum referunt Dominicus ibid. num. 6. et Franch. in fine, et Barbosa loc. cit. num. 6. (8. Gratia concessa cum clausula *donec revocaverimus, donec aliud duxerimus ordinandum*, et hujusmodi, durat perpetuo, nisi a concedente, vel successore ipsius revocetur, neque expirat morte concedentis. Sic Barbosa claus. 43, num. 21, Theodor. de Rub. in singul. Rotæ tom. 2, par. 4, claus. 230. Reiff. loc. cit. num. 263. Menochius de *Arbitr. Judic.* lib. 1, quæst. 69, num. 12, citans communem aliorum contra Bartolum. Et ratio est, quia ad revocationem requiritur actus positivus contrarius, qualis non habetur per solam mortem concedentis, nam aliud est voluntatem cessare, et aliud eam revocare: prius sit per mortem; l. 4, ff. *Locati*, posterius autem requirit factum quoddam, nempe novam dispositionem, et expressionem ipsius revocationis, Menochius consil. 360, num. 9, cum aliis. Barbosa loc. cit. Reiffenstuel loc. cit.

(9. Gratia solo verbo Papæ perficitur etiam litteris non expeditis; cap. *Inquisitionis* 23, qu. 1. Clement. dudum, de *Sepulturis* § ult. Archidiacon. Jo. Andr. in proem. 6. Decretal. Felin. in cap. *In nostra* in fin. de *Rescript.* Pyrrhus Corrad. *Prax. dispens. Apostolic.* lib. 1, cap. 6, n. 4. Rota part. 1, recent. decis. 585, num. 2, par. 7, decis. 218, n. 7, par. 8, dec. 79, num. 21. (10. Gratia recipit robur et virtutem suam, et regulatur a sola signatura Papæ a die ejusdem datæ; Rota part. 2, decis. 327, n. 1 et seq. p. 8, decis. 70, n. 17, p. 17, dec. 270, n. 4, p. 18, to. 2, dec. 469, n. 5, p. 19, tom. 2, decis. 648, num. 4. (11. Gratia Papæ per solam signaturam perficitur; Rota part. 6, decis. 38, num. 80 et seq. part. 17, decis. 270, num. 5. (12. Scriptura autem, seu litteræ Apostolicæ re-

(10) Huic opinioni contraria videtur Cancellariæ praxis. « In Regula enim 27. de non judicando juxta formam supplicationum, sed litterarum expeditarum habetur. Cum ante confectionem litterarum gratia sit informis.... Judices vel in Romana Curia, vel extra eam existentes, et quicumque alii non juxta supplicationum signaturam super quibusvis impetrationibus, sed juxta litterarum super iisdem impetrationibus, et concessionibus, confectarum tenores, et formas judicare debent. » In Regula 31. non valeant commissiones causarum nisi litteris expeditis. Statuitur quod omnes commissiones causarum obtentu, vel occasione concessionum duntaxat gratiarum apostolicarum de beneficiis ecclesiasticis, super quibus litteræ Apostolicæ confectæ non fuerint ac processus desuper habendi nullius sint roboris, vel momenti. Demum Regula 52 ut nulli suffragetur dispensatio nisi litteris confectis addit, quod gratia cujuscunque dispensationis nulli cuiquam in judicio vel extra suffragetur, antequam super ea litteræ Apostolicæ sint confectæ. » Hinc factum est, ut per solam signaturam cum informis reputetur gratia, executioni nequeat demandari, et irrita remanet executio facta sine litteris pergamenis gothica manu conscriptis, et signo plumbeo communitis, vel sine authentico earum transumpto. Quinimo ipso jure vacare dicitur beneficium illud, cujus possessio sit absque litteris Pontificiis capta, ut ex Constit. *Sanctissimus in Christo Julii III* inter suas

quiruntur tantum ad probationem Gratiæ; Rota locis mox citatis, Mascard. de *probationibus* concl. 843, num. 10. Pyrrhus Corrad. loc. cit. n. 7. Gonzal. ad Reg. 8. Cancell. (13. Glossa 2, n. 47, ubi dicit, quod in lingua Principis stat Gratia, et in scriptura testimonium, et in executione commodum (10). (14. Gratia concessa per Pontificem prædecessorem absque expeditione Bullarum, est exsequenda per successorem expeditis litteris sub forma: *Rationi congruit*. Card. Petra tom. 3, in comment. in Constit. 1, Pii II, n. 12, ubi tradit etiam tenorem talium litterarum; Rota part. 12, decis. 121, n. 3, et habetur ex Regula decima Cancellariæ, in qua super litteris non expeditis solet concedi facultas expeditionis pro gratiis factis, et non expeditis a duobus antecessoribus Pontificibus tantum. (15. Unde Regula tantum quoad nominatos Pontifices suffragatur, quia cæteri non nominati exclusi censentur; Amyden. de *Stylo Datarie* lib. 1, cap. 21, numer. 14. Card. Petra loc. cit. num. 15, et alii passim (11).

(16. Hæc regula Cancellariæ, seu hic modus expediendi litteras ab antecessore, seu antecessoribus non expeditas, desumptus fuit ex jure communi, in cap. *Litteris, de Rescriptis*. Ex quo canone arguunt DD. Pontifices successores ex congruenti ratione deberi exsequi gratias, quas concesserunt prædecessores, et morte præventi exsequi non potuerint. Barbosa in cap. *Litteris* num. 5. Mandos. in *Regula de Litteris in forma, Rationi congruit, expediendis*, quæst. 2, n. 3. Rosa de *execut. Litterarum Apostolicarum* part. 1, c. 2, n. 19. et sequens. Card. Petra loc. cit. num. 16. (17. Hinc novus Papa nullam facit gratiam de novo, sed solum testatur de Gratia concessa, vel exsequitur eam, juxta verba Gregorii IX. in cit. cap. *Litteris*, ibi: « Cum factum prædecessoris nostri potius, quam nostrum, fuerimus prosecuti. » (18. An ista expeditio requirat,

30. juxta Bullar. *Mainard.* tom. IV, part. 1, pag. 306, coll. 2, in fin. Paulus III antea sub pena excommunicationis latæ sententiæ prohibuit Officialibus transumptorum concessionem litteris non expeditis. *Constit. 64 Bullar. Mainard.* tom. IV, part. 1, pag. 248. Nullius pariter roboris declaratur Cathedralium et Abbatialium Ecclesiarum capta possessio absque litteris Apostolicis, ut luculenter definitivit Urbanus VIII in extravagan. *Injunctæ* 1. de Electione. (EDIT. BARBIELL.)

(11) Ex citata « Regula Cancellariæ 10 de litteris in forma *Rationi Congruit* expediendis » successores Pontifices solent sex mensium spatium præfigere ad expediendas litteras pro gratiis a prædecessore concessis, quinimo in multis gratiis ad evitandas fraudes apponi solet ex Datarie Stylo clausula, « quod infra tres menses proximos litteræ Apostolicæ desuper expediri debeant; » Rigant. in dictam Regul. 10, num. 65. Ex edicto vero speciali Datarie obtinentibus beneficia, sive simplicia, sive residentialia solet præfigi terminus sex mensium ad expediendas litteras, quibus peractis eadem beneficia possunt ab aliis jure impetrari; Rigant. loc. cit. num. 72. Gagliard. de *Benefic. Eccles.* cap. 40 de *Collat.* § 7. Ad Ecclesias tamen Cathedrales pro litterarum expeditione unius integri anni spatium concedi tradit; Fagnan. et Thomassin. apud eundem Rigant. l. c. n. 74. (EDIT. BARBIELL.)